



I Oannes natus est in ducatu Vuirtenbergico anno 1529. Is ut litéris ac pietati operam daret, à parentibus in nobile monasterium Hirsauiæ puer ad huc collocatus fuit. ubi etiam prima literarum fundamenta iecit. Cum autē postea in eo loco religio mutaretur, sese in Alsatiā ad Ebersheimmünster monasterium contulit, & ordinem Benedictinorum suscepit. In eo loco res sibi commissas diligenter expediuit, & talem sese exhibuit, ut eius loci Prior eligeretur. Hoc modo cum pergeret, atq; Casparus abbas uita fungeretur, ipse præter expectationē die 25 Martij, anno 1558, post Leobardū S. Benedicti discípulum, & anno 583 primum Maurimo nasterij abbatem, quinquagesimus quartus, sed iuxta Bruschium (qui aliquot desideratos ab initio abbates omisit) 32 Abbas electus fuit. Illud monasterium olim à Francorum regibus fundatum, & multis bonis locupletatum fuit. Itaq; Ioannes eam Abbatiam suscepit, & monasterium rusticorum furore adhuc ruinosum pulchris ædificijs restaurauit. sua etiam frugalitate æs alienū paulatim creditoribus restituit. Is cum anno 1565 in eo loco præterirem, summa humanitate excepit, atque eius loci antiquissimas annales exhibuit, ut ea quæ meo instituto seruirent, annotarem, & antiquissimos Francorum reges Childebertum Clodouei primi Christiani filium, atq; Theodoricum nepotē, huius loci fundatores & locupletatores exciperem, cuius etiam prius in Caspero abbate mentio facta. Itaq; hunc Ioannem ob uitutes hoc loco commemorare placuit. Anon.